

1609 *staret, qui opulentum ac variis juribus refertum moderaretur? id porro nunc teneri: jam si de cœnobiorum ad veteres possesores reditu agatur, neque hoc ad Senatum spectare, neque ita recens malum esse, ut cito vel evelli vel sanari queat: Quod ad Camaldulenses attinet, eorum jura, quatenus fieri possit, tutanda esse. In hanc sententiam cum frequens Senatus ivisset, jussu Mocenico, libere sacerdotio cuiquam e nostris concessio, annua Burghesio pensione reservata, negotium conficiat. Brevi in has leges deventum: Libere cum spiritali ac temporali, quas vocant, jurisdictionibus Venetus civis Abbas renuntietur; quinque aureorum millia Burghesio annuatim pendantur: nulla in re Camaldulensium juri abrogaretur, quo minus eo in statu sint, quo primum, Lauretano Abbate sacerdotium obtinente, fuissent: pecunia demum, quæ ad ecclesiæ cultum, monachorum victum, Padi aggeres instaurandos sufficiat, seponatur. Matthæus Priolus, spectatæ virtutis juvenis, Antonii Equitis ac Marcii Procuratoris filius, a Pontifice suffectus est: atque ita implicito multis difficultatibus negotio finis impositus, & dignitas Reipublicæ servata, Camaldulensibus (quatenus fieri potuit) consultum.*

*Abbatia
sancta
Maria Vā-
gadise ne-
gotium cō-
positum.*

*Matthæus
Priolus,
sancta
Maria Vā-
gadise Ab-
bas eligitur.*

*Jacobi
Angli Regis
decretum de
juramento
subjectis
suis obstrin-
gendis.*

Senatus quoque in catholicam religionem studium maxima alia in re enituit. Jacobus Magnæ Britanniae Rex, post detectam superioribus annis conjurationem, quæ in illius caput totiusque regni proceres intendebatur, cunctos sibi subjectos jurejurandi formula obstringere statuit, qua, nemini in Britanniam jus esse, aut fore, continebatur; se legitimum verumque Regem Britanniae aliarumque terrarum sibi subjectarum esse; Pontificem neque per se ipsum neque per ullam aliam auctoritatem Ecclesiae vel Sedis Romanae, Regem deponendi, de suis regnis disponendi extraneo alicui Principi, ipsum damno afficiendi, terras suas invadendi, subditos ab ejus obedientia & subjectione eximendi, molestiam aliquam vel damnum regi, ditioni, subjectis inferendi, auctoritatem aut potestatem habere; neutiquam obstante declaratione vel sententia excommunicationis aut privationis facta, concessa, facienda, concedenda, per Pontificem vel successores suos, aut quacumque absolutione subditorum a sua successorumque obedientia: quinimmo fidem Regi, successoribusque suis cunctos præstaturus; totisque viri-